

PONTIFICIUM CONSLIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXV - N. 2

1993

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1993

Sped. Abb. Postale - gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

Ex allocutione Summi Pontificis in Aëronavium Portu <i>Denveriensi</i> habita	163
Ex allocutione Summi Pontificis ad iuvenes in <i>Cherry Creek State Park</i> congregatos habita	165
Ex allocutione Summi Pontificis ad quosdam Episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis Sacra Limina visitantes	167
Ex allocutione Summi Pontificis ad quosdam Episcopos Australiae, visitationis "Ad Limina" occasione oblata	170
Ex allocutione Summi Pontificis ad quosdam Canadæ Episcopos in sacrorum limi- num visitatione	171

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SUPREMUM SIGNATURÆ APOSTOLICÆ TRIBUNAL

Responsio per generale decretum ad propositum quaesitum de can. 1673, 3º CIC	174
--	-----

ACTA CONSILII

Quaestiones quaedam studio Pontificii Consilii submissae	176
Pontificii Consilii Publicationes	177

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studii «De sacra Hierarchia» (olim «De Clericis») (Sessio XVII)	179
II. Coetus studii «De sacra Hierarchia» (olim «De Clericis») (Sessio XVIII)	210
III. Coetus studii «De Institutis Perfectionis» (Sessio V)	230
IV. Coetus studii «De Institutis Perfectionis» (Sessio VI)	270
Opera a Consilii Bibliotheca recepta	327
Notitiae	328

III

COETUS STUDII
« DE INSTITUTIS PERFECTIONIS »

Sessio V¹
(dd. 9-14 decembris a. 1968 habita)


Diebus 9-14 decembris 1968, in aula huius Pontificiae Commissionis convenerunt Consultores Coetus studii « De Institutis perfectionis », sub directione Rev.mi P. Bidagor S.J., Secretarii Commissionis. Conventibus intererant praeter Coetus Relatorem, Exc.mi tres, Rev.mi novem et Ill.mus unus Consultores. Actuarii munere functus est Rev.mus Herranz, a studiis Commissionis. Aberant, legitime impediti, Exc.mus unus ac Rev.mi quatuor Consultores.

In initio huius sessionis studii, Rev.mus Secretarius salutem omnibus dicit, praesertim his qui prima vice partem habent in opera Commissionis atque generales notitias refert de itinere laboris a Coetu hucusque peracti deque principiis et criteriis directivis, in praecedentibus sessionibus discussis et approbatis, quae progressus laboris dirigunt. Omnia haec, nempe quaestiones disceptatae, conclusiones Consultorum atque schemata canonum quae provisorie apparata sunt, in relationibus conclusivis praecedentium sessionum membris huius Coetus iam traditis, accurate prostant, quapropter regressus ad res iam pertractatas ne facile fiat, ut generalis ordo agendi servetur et qua par est celeritate regulariter labor procedat. Denique Rev.mus Secretarius rogat Relatorem Coetus ut de peractis in praecedenti sessione deque in praesenti peragendis quoad propositam materiam « de regime Institutorum religiosorum » sermonem faciat.

Rev.mus Relator haec praesertim in mentem adstantium revocat:

1. Consultores sequentem decisionem iam tulerunt, quae in relatione scripta fusius explanatur, videlicet: In recognoscendo iure communi ad regimen religionum attinenti, abstrahendum est a quaestione exemptionis qua gaudent quaedam religiones. Statutum ergo fuit ut de instituto exemptionis nihil pro momento dicatur, tantummodo ut integra servetur interna autonomia institutorum ut ipsa crescere et laborare valeant iuxta proprium charisma;

¹ Praecedentes Sessiones huius Coetus studii inveniuntur in *Communicationes* respective 16 (1984) 196-239 (Sessio I); 17 (1985) 113-147 (Sessio II); 18 (1986) 171-209 (Sessio III); 17 (1985) 240-261 (Sessio IV).



2. Statutum etiam fuit ut in hac recognitione iuris communis de regimine institutorum religiosorum necessaria distinctio prae oculis habeatur inter instituta iuris dioecesani ac instituta iuris pontificii, atque initium fiat ab examine praescriptorum, quae instituta iuris dioecesani spectant; eae enim normae lacunosae apparent et insufficientes in actuali Codice;

3. Tempus in praecedenti sessione non suppetebat ad perpendendam momentosam quaestionem de visitatione instituti iuris dioecesani quando institutum in plures dioeceses diffusum est. Ab hac igitur quaestione — concludit Relator — in praesenti sessione incipiendum videtur.

I. DE VISITATIONE INSTITUTORUM IURIS DIOECESANI

Rev.mus Relator sequentem formulam proponit, quae erit § 4 canonis 3 in praecedenti sessione approbati:

«Visitationem canonicam instituere in domibus instituti quod extra limites sui territorii domos non habet. Visitatio haec tam observantiam Constitutionum quam apostolicam sodalium actuositatem respicit. Si vero institutum in territorium plurium Ordinariorum loci ad eamdem vel diversam Conferentiam Episcoporum diffusum fuerit, visitatio canonica omnium domorum instituti ei reservatur cui munus hoc specialiter commissum fuerit respective a Conferentia Episcoporum vel ab Apostolica Sede».

Rev.mus primus Consultor obiicit hanc visitationem aequo iure pertinere ad omnes Ordinarios in quorum circumscriptionibus Institutum dominus habeat; res ergo non remittenda videtur ad Conferentiam Episcoporum.

Respondet Rev.mus Relator rem hodie ita quidem se habere, sed volumus procedere in favorem necessariae unitatis instituti. Quando institutum in plures dioeceses diffunditur, dictum praescriptum — quod ceteroquin datum est pro Ordinario territorii ubi Institutum dominum principem habet — non pauca incommoda pro unitate instituti afferre potest, si e.g. ordinationes datae a variis Episcopis inter se non concordent.

Rev.mus P. Bidagor rogit Relatorem ut quaestionem exponat de rationibus inter Conferentias Episcopales et Instituta religiosa. Conferentiae enim non adhuc habent uniformem structuram; praeterea sunt ordinarie nationales sed etiam regionales, in quibus partem habent Episcopi diversarum nationum. Nos tamen in subiecta materia regulas invenire debemus generales et flexibles.

Istae Conferentiae Episcoporum — ait Rev.mus Relator — iam nunc quandam habent actionem coordinationis in toto uniuscuiusque territorio, praeter potestatem legiferandi in quibusdam materiis probante quidem Apostolica Sede. Relate ad concretam materiam de qua agimus, quaestio iam posita est de interventu Episcoporum Conferentiae quoad erectionem institutorum dioecesanorum, ne plura instituta eiusdem speciei erigantur. Probatum ergo fuit ut Episcopus erigens, indigeat licentia seu consensu Conferentiae, a Sancta Sede recognito, antequam institutum erigat.

Post hanc explanationem, Rev.mus Relator redit ad formulam quam proponit pro visitatione institutorum dioecesanorum, quando institutum in pluribus dioecesibus unius vel plurium nationum diffusum est. Tunc — insistit Relator — melius est ut una tantum persona, sive a Conferentia Episcoporum sive a Sancta Sede deputata, videat quid faciendum sit in omnibus domibus ipsius instituti. Quaerit tamen sententiam Consultorum quoad hanc propositionem.

Exc.mus secundus Consultor formulam approbat sed quaerit ut visitatio canonica semper instituatur « auditio Ordinario loci in quo adest domus principalis », quia ipsi competit curam habere totius instituti.

Exc.mus tertius Consultor suggestionem facit de applicatione principii subsidiarietatis, ut nempe ne faciat Auctoritas Superior quod facere potest Auctoritas intermedia; hoc in sensu institutio Conferentiarum Episcoporum locum dare potest ut, praeter instituta religiosa iuris pontificii et iuris dioecesani, habeantur etiam instituta characteris nationalis vel regionalis sub dependentia respectivae Conferentiae Episcopalis. Evidenter institutio huius tertiae categoriae institutorum directe connectitur cum quaestione proposita de visitatione institutorum quae in pluribus dioecesibus iam sunt diffusae.

Animadvertisit Rev.mus quartus hanc propositionem Exc.mi tertii Consultoris non solvere omnino problemata, quia habentur parvae congregations missionariae quae, praeter domum principalem, duas tantum vel tres domos constituerunt ex quibus una e. gr. habetur in Sud-Africa, alia in India, alia forsitan in America. Prima ergo quaestio quam perpendere debemus — ait Rev.mus — haec videtur: quandonam et quibusdam conditionibus institutum iuris dioecesani hanc iuridicam conditionem amittat.

Huic obiectioni respondet Exc.mus tertius Consultor dicens institutum esse iuris pontificii si domos, plures vel paucas, extra nationem ubi natum est habeat; si illae vero domus sint extra dioecesim erectionis, sed manent in ambitu nationis, tunc institutum dicendum videtur iuris Conferentiae Episcopalis.

Rev.mus quintus Consultor animadvertisit proprium esse omnium institutorum spiritum catholicitatis quo tendunt ad propagationem, primum forsitan in alias dioeceses ipsius nationis, dein in alias orbis partes. Haec catholicitas institutorum — concludit Rev.mus — non tantum servanda sed commendanda videtur omnibus institutis.

Rev.mus sextus Consultor concordat cum dictis ab Exc.mo tertio, quia revera multae sunt congregations characterem nationalem habentes. Quoad propositionem Rev.mi quinti Consultoris, contrariam sententiam tenet, quia si talis commendatio fiat, parvae congregations putarent se spiritum catholicum non habere nisi aliam domum extra nationem, et quidem longiore loco, constituerent. Quod periculum foveret confusionis et indebitae dispersionis.

Rev.mus septimus Consultor animadvertisit dioecesanitatem non esse censemendam, saltem iuxta spiritualitatem quorundam institutorum, imperfectionem quandam structuralem. Pro his enim institutis, dioecesanitas non est quid provisorium sed nota characteristicā eorum spiritualitatis. Ad quaestionem quod attinet de visitatione, Rev.mus expostulat ut tam agita- ta quaestio radicaliore modo perpendatur: estne hoc institutum adhuc servandum, saltem uti institutum normale et stabile? Ad mentem Rev.mi Patris hoc institutum, uti hodie viget, visitatio scilicet quinto quoque anno perficienda ab Auctoritate externa, conditionem quamdam «minoritatis» inducit, praesertim pro congregationibus seminarum; praeterea, saepe saepius haec visitatio ad caeremoniam tantum reducitur. Proponit ergo ut in posterum visitatio canonica fiat a Superiore interno (vel a Superiorissa in institutis seminarum); relatio vero de visitatione regulariter tradatur Auctorati dioecesanae.

Rev.mus octavus accedit dictis a Rev.mo septimo Consultore, et proponit ut duae species visitationis distinguantur, nempe: «visitatio minor», quae quaestiones generales tantum respiciat (ecclesiam vel oratorium publicum, sacrarium, etc.), atque «visitatio maior», quoad totam vitam et actionem instituti. Ea postrema species visitationis rarissime fiat. In duobus his casibus visitatio facienda est ab Auctoritate externa.

Rev.mus primus Consultor in mentem adstantium revocat difficultates quae oriri possunt si aliqua sancitur participatio Conferentiae Episcopalis nationalis in visitatione institutorum. Melius ergo esset si ius visitationis tantum concedatur Ordinariis in quorum circumscriptionibus institutum domos habeant.

Rev.mus nonus, accedens quibusdam dictis a Rev.mo septimo Consultore, dicit votum congregationum iuris dioecesani esse ut ad visitationem canonicam perficiendam Episcopi potius nominent virum religiosum

quam saecularem et, si possibile sit, virum religiosum eiusdem spiritualitatis quam habet congregatio de qua singulis in casibus agatur. Ita vitarentur non paucae difficultates, et foveretur fructus visitationis.

Rev.mus Relator, hanc pluralitatem sententiarum prae oculis habens, dicit se novam propositurum esse formulam huius § 4 canonis 3, quamvis iam in praesenti formula conamen fecit vitandi praecipuas difficultates a Consultoribus nunc memoratas, praesertim a Rev.mo septimo Consultore. Ad propositionem Exc.mi tertii Consultoris quod attinet, iam aliquo modo providetur per canonem 1 in III^a sessione Coetus probatum, ubi ponitur clausula «dummodo praecesserit propriae Episcoporum Conferentiae consensus» pro erectione institutorum; uti patet si Conferentia Episcopalis votum dat positivum, ipso facto desiderium manifestat ut in toto suo territorio institutum propagetur. Denique Relator dicit se concordare cum Rev.mo quinto Consultore quoad ius congregationum dioecesanarum sese diffundendi extra dioecesim immo extra nationem ubi erectae sunt.

Rev.mus P. Bidagor cum his dictis concordat. Certo certius quidquid sit de earum specifica spiritualitate, congregations iuris dioecesani ius habent ad propagationem extra dioecesim. Etiam ad quaestionem de reformatione instituti visitationis, responsum dari potest in favorem maioris autonomiae, salva conditione dioecesana institutorum et prae oculis habitis praescriptis iam in praecedentibus sessionibus approbatis pro vitanda multiplicatione institutorum, etc.

His omnibus perpensis, Rev.mus Relator sequentem novam formulam proponit, cum relativa nota explicativa:

Can. 3 § 4

«Visitare domos instituti in suo territorio sitas quoties sibi in Domino necessarium visum fuerit ob graves abusus quos forte in eis irrepsisse cognoverit (et quoties visitationem canonicam in suo territorio peragit)».

Nota:

a) Per primam partem huius numeri vitatur visitatio domorum statutis temporibus contra quam, una vel alia ratione, Rev.mi Consultores difficultates opposuerunt. Illis tamen in adjunctis visitatio non tantum opportuna sed et necessaria appareat et Ordinario loci non debet ius denegari rem investigandi et remedia, si res ferat, apponendi.

b) Etiam secunda pars iustificata appareat, etsi illam considerationi Rev.morum Consultorum vellem relinquere. Iustum videtur quod Ordina-

rius, visitationem dioecesis peragens, non omittat visitare domos religiosas quae suae «peculiaris curae et vigilantiae» concretitae sunt, ut dicitur in initio eiusdem canonis 3.

c) Quoad visitationem in iis quae pertinent ad ecclesiam, sacrarium, oratorium publicum, sedem et sacramentum poenitentiae, quam Rev.mus octavus Consultor vocat «visitationem minorem», nihil existimo hic dicendum quia haec visitatio non coarctatur ad domos institutorum iuris dioecesani sed communis est pro omnibus institutis (cfr. can. 512 § 2, 2°, ubi etiam domus religionis clericalis exemptae includuntur).

Sententiae exquiruntur Consultorum quoad novam formulam, et eae sunt opiniones quae prolatae sunt:

Exc.mus secundus Consultor novum textum quoad substantiam approbat.

Exc.mus tertius Consultor censet esse servandam visitationem canoniam domorum statis temporibus. Ad mentem Concilii Vaticani II — explicat Exc.mus — debemus tollere e notione visitationis canonicae illud quod sit mere auctorativum etc., ita ut character pastoralis ac paternus huiusmodi visitationis magis extollatur. Hic tamen finis obtineri nequit si visitatio tantum fiat «ob graves abusus»: tunc visitatio haberetur in casu calamitatis et erit odiosa.

Cum dictis ab Exc.mo tertio dicunt se concordare Rev.mi quartus, quintus et decimus Consultores. Rev.mus autem Relator animadvertisit possibilitatem visitationis pastoralis semper adesse, cum ex parte Episcopi, tum ex parte Superiorum internorum.

Rev.mus sextus Consultor postulat ut bene explicitur quaenam continent eae duo species visitationis, canonica scilicet et pastoralis, seu quodnam sit eorum obiectum et quaenam sint potestates visitatoris in utroque casu.

Rev.mus septimus Consultor proponit, si servatur institutum visitationis, ut Episcopus visitationem faciat occasione visitationis canonicae ipsius dioecesis. Rationes huius visitationis canonicae, quae certissime est simul pastoralis, sunt rationes generales (cfr. can. 343, § 1), quae possunt etiam praedicari de visitatione institutorum religiosorum iuris dioecesani. Ita quinto quoque anno Episcopus visitaverit omnes institutiones quae sub eius directa vigilantia habentur, et tolletur memorata quaedam odiositas quae videtur esse in visitatione canonica «speciali» domorum religiosorum.

Rev.mus primus Consultor insistit in necessitate servandi ius visitationis Ordinarii, saltem «ob graves abusus».

Rev.mus octavus Consultor stans quoque pro necessitate visitationis,

hanc formulam proponit: « ... quoties visitationem canonicam ipsius dioecesis Episcopus peragit et etiam quando ob bonum instituti sibi in Domino opportunum appareat ».

Rev.mus nonus Consultor expositulat ut clara distinctio iuridica peragatur. Paterna cura domos religiosas visitare semper possibile est Episcopo. Alia vero visitatio, quae canonica dicitur quia cum potestatibus fit ad normam iuris definitis, apte definienda videtur, ne in praxi abusus foveat: e. g. ut Superiores ecclesiastici tyrannice agant in congregationibus feminarum. Sit ergo norma iuridica simplex et non abusiva: e. g. « ob seriam causam », etc. Sola formula « quoties sibi in Domino opportunum appareat » videtur periculosa.

Rev.mus P. Bidagor, omnibus quae dicta sunt perpensis, censet caninem exarandum esse cum debita flexibilitate, atque in eius capite ponendo quod visitationes domorum religiosarum fieri debent sicut fiunt visitationes canonicae dioecesis. Ideoque sequens quaesitum suffragationi Consultorum ponitur:

« Placetne ut retineatur visitatio externa canonica uti institutum? »

Facta suffragatione, omnibus placet ut retineatur. Quapropter Rev.mus Relator sequentem proponit formulam pro prima parte huius § 4ae can. 3:

« Visitare domos instituti in suo territorio sitas quoties visitationem pastoralem in eodem territorio peragit ».

Facta suffragatione, haec prima pars textus approbatur, sed cum hac emendatione claritatis causa proposita a Rev.mo sexto Consultore:

« Visitare domos instituti in suo territorio sitas quoties visitationem pastoralem ibi peragit ».

Gressus ergo fit ad secundam partem huius § 4^{ae}, pro qua Exc.mus secundus Consultor proponit ut dicatur:

« ...neque cum rationes iustae et speciales id requirant ».

Rev.mi quartus ac sextus Consultores quaerunt ut deleatur verbum « iustae ». Cum his duobus Consultoribus concordant Exc.mus tertius, Rev.mi quintus, decimus, octavus, septimus et primus Consultores. Sunt tantum contrarii Exc.mus secundus et Rev.mi sextus et nonus Consultores.

Rev.mus septimus Consultor tunc proponit, et propositio accipitur, ut loco « iustae et speciales », dicatur « vere peculiares ».

Rev.mus quartus Consultor censet textum ita complendum esse: « ...vere peculiares suo iudicio id requirant ». Additio a maioritate Consultorum recipitur, quia videtur necessaria.

Hic est exitus suffragationis:

Placet additio: n. 7 (Exc.mi secundus et tertius Consultores; Rev.mi primus, quartus, quintus, octavus ac decimus Consultores).

Non placet: n. 5 (Rev.mi PP. Bidagor et Relator atque sextus, septimus et nonus Consultores).

Quaerit denique Rev.mus Relator an in fine textus ponendum sit verbum «suadeant» loco «requirant». Placet omnibus ut maneat verbum «requirant».

Ita disceptatione expleta de hac § 4 can. 3, textus approbatus est sequens:

«Visitare domos instituti in suo territorio sitas quoties visitationem pastoralem ibi peragit, necnon cum rationes vere peculiares suo iudicio id requirant».

II. DE REGIMINE INSTITUTORUM IURIS PONTIFICII

Canon primus

Haec est formula quae a Relatore proponitur:

«Instituta religiosa iuris pontificii sub directa dependentia Sedis Apostolicae sunt. Ordinarii locorum nequeunt ullo modo sese ingerere in eorum regimen internum et religiosam disciplinam. Religiosi tamen iuris pontificii a iurisdictione Ordinariorum locorum non subducuntur eisque obediare tenentur in iis quae ad normam iuris Ordinariis competunt».

Hic textus — ait Rev.mus Relator — statuit imprimis internam autonomiam institutorum religiosorum iuris pontificii, quae, attento eorum statu subiectionis directae erga Sanctam Sedem et attenta maturitate ac diffusione ad quas iam pervenerunt, notabiliter magis extensa esse debet ea qua instituta iuris dioecesani gaudere possunt. Haec tamen autonomia per se non eximit religiosos iuris pontificii a iurisdictione Ordinarii loci. Eius tamen auctoritas multo magis limitata est, eadem ob motiva, quam ea qua gaudet in religiosos iuris dioecesani. Malui loqui — sequitur Rev.mus Relator — de subiectione *religiosorum* iuris pontificii et non de subiectione *institutorum*, tam quia instituta, ut talia, non videntur Ordinario loci subiecta, quam quia ista instituta vix umquam coarctantur ad territorium unius dioecesis sed diffusa sunt in territorio plurium Ordinariorum loci et proinde nullus eorum potest habere iurisdictionem in institutum ut tale.

Cum instituta iuris pontificii a Sancta Sede directe dependeant, Ordinarius loci in eorum sodales eam dumtaxat exercere potest auctoritatem quam eadem Sancta Sedes per ius commune vel aliter ei concedit. Propterea in canone dicitur religiosos iuris pontificii obedire debere «in iis quae ad normam iuris Ordinariis competunt».

Quaerit Exc.mus undecimus Consultor an distinctio aliqua facienda sit, uti opportunum videtur, inter instituta religiosa virorum et instituta religiosa mulierum; in iure enim condito magna differentia habetur.

Rev.mus Relator huic quaesito affirmative respondet. Propterea — ait — iam dicitur in textu «ad normam iuris», ut haec differentia in loco opportuno specificetur.

Quoad 2.um punctum textus, Exc.mus undecimus Consultor notat differentiam adesse, in religionibus mulierum, inter «regimen internum» (ubi Ordinarius se ingerere non potest) et «religiosam disciplinam» (in qua Ordinarii competentes intervenire possunt). Praeterea negat Exc.mus ut monachi, qui vitam gerunt apostolicam, dependentiam non habeant ab Ordinariis locorum, sicut omnes alii religiosi.

Rev.mus P. Bidagor animadvertisit de iure monachorum distincte esse pertractandum, uti iam ad mentem Concilii approbatum fuit. Praeterea memorat divisionem quae adest apud monachos quoad convenientiam vel minus vitam apostolicam externam ducendi. Sunt quaestiones quae perpendenda videntur in separata sede.

Exc.mus secundus Consultor quaestionem movet de distinctione facta inter «religiosos» et «Instituta religiosa» quoad dependentiam ab Ordinario loci. Si agitur de «domo religiosa» — quaerit Exc.mus — ad quem referuntur res?

Respondet Rev.mus Relator quod si agitur de cultu publico vel de apostolatu, res pertinet ad Ordinarium; sed uti principium generale non potest dici domos religiosas instituti iuris pontificii pendere ab Ordinario loci.

Exc.mus tertius Consultor quaerit, quoad punctum 2.um textus, de quo iam locutus est Exc.mus undecimus Consultor, quare Ordinarii loci non possint sese ingerere in regimen internum et religiosam disciplinam.

Respondet Rev.mus Relator haec esse verba Codicis (cfr. can. 618 § 2, 2º).

Insistit tamen Rev.mus duodecimus Consultor in necessitate clarificandi verbum «disciplina». Dubitat enim num ultima canonis pars sufficiat ad aptam delimitationem principii quod in 2ª periodo enuntiatur. In n. 35, § 3 Decreti «*Christus Dominus*» — ait Rev.mus — sermo fit de exemptione (de qua non agitur in nostro canone) et adhibentur verba «ordinem Institutorum internum».

Animadvertisit Rev.mus «ordinem internum» multa comprehendere quae non significantur per locutionem «regimen internum» instituti, dum in canone nostro haec ultima adhibetur expressio.

Rev.mi quartus, decimus et quintus Consultores malunt ut canon positiva forma exaretur.

Ad mentem Rev.mi septimi Consultoris haec principia in canone hoc clare statuenda videntur:

- 1) dependentia immediata a Sancta Sede institutorum iuris pontificii (haec est quidem specifica differentia horum institutorum ab institutis iuris dioecesani);
- 2) unitas interna accurate servanda;
- 3) dependentia ab Ordinariis locorum in operibus externis apostolatus. De quaestionibus minutis, seu de rebus particularibus, in aliis locis agatur.

His propositis alii accedunt Consultores inter quos Rev.mi primus et octavus. Hic tamen ultimus Consultor sequentes facit propositiones:

- 1) dependentia «directa» a Sancta Sede, eo scilicet sensu ut instituta non «per Ordinarios» a Sancta Sede dependeant, clare enuntietur, quia cum potestas Romani Pontificis directa sit in omnes res et personas Ecclesiae, etiam de institutis iuris dioecesani dici forsitan potest ea a Sancta Sede directe pendere;
- 2) potius dicatur «regimen internum» institutorum iuris pontificii a Sancta Sede pendere, nulla vero mentione facta de «disciplina religiosa»;
- 3) clare attamen sermo fiat de activitatibus externis apostolatus.

Rev.mus nonus Consultor memorans peculiarem difficultatem huius canonis quia prima vice in norma de institutis iuris pontificii principium datur dempta quaestione de exemptione, postulat ut forma positiva denuo redigatur canon, quia ita facilior erit interpretatio. Praeterea loquendum videtur non tantum de religiosis singulariter sumptis, sed etiam de religiosis in domibus coadunatis quoad eorum collectivam activitatem externam apostolatus.

Rev.mus P. Secretarius, cui accedunt Rev.mus Relator et alii Consultores, in mentem adstantium revocat hunc canonem, qui utique perfici adhuc potest, intelligendum etiam esse in contextu can. 2 (cfr. Relationem conclusivam IV^{ae} Sessionis), * ubi de omnibus institutis statuitur: «Religiosi

* Cfr. *Communicationes*, 17 (1985) p. 260.

auctoritati etiam Episcoporum eorumque Conciliorum atque Conferentiarum ad normam iuris subduntur».

Exc.mus secundus, cui accedunt Rev.mi quartus, quintus et decimus Consultores, proponit ut in exarando novo canonis textu eadem via procedatur qua pro institutis iuris dioecesani.

Dicatur e. gr. «In regendis institutis iuris pontificii:

- a) Sanctae Sedi competit...;*
- b) Ordinariis locorum competit...».*

Rev.mus Relator animadvertisit se iam praeparasse elenchum canonum hodierni Codicis, qui subiectionem quamdam religiosorum iuris pontificii, etsi non exclusive, erga Ordinarium loci statuunt. Hic elenus, qui Consultoribus traditur, est sequens:

«Canones qui subiectionem quamdam religiosorum iuris pontificii, etsi non exclusive, erga Ordinarium loci statuunt.

Can. 500, § 1: Statuitur principium subiectionis religiosorum erga Ordinarium loci.

Can. 500, § 2: Iurisdictio Ordinarii loci in moniales in genere.

Can. 512, § 1: 1º Ius Ordinarii loci visitandi monasteria monialium.

Can. 512, § 2: 1º Ius Ordinarii loci visitandi monasteria monialium Superiori Regulari subiecta.

Can. 512, § 2: 2º Ius Ordinarii loci visitandi domos congregationis clericalis iuris pontificii.

Can. 512, § 3: 3º Ius Ordinarii loci visitandi domos congregationis laicalis iuris pontificii.

Cann. 520-527, 529: Iura Ordinarii loci quoad confessarios religiosorum.

Can. 533: Iura Ordinarii loci quoad collocationem pecuniae ex parte religiosorum.

Can. 534: Ius Ordinarii loci in alienandis rebus pretiosis aliisve bonis ex parte religiosorum.

Can. 535: Ius Ordinarii loci exigendi rationem administrationis a monialibus et religiosis mulieribus necnon cognoscendi de administratione fundorum et legatorum quae apud religiosos sunt.

Can. 549: Consensum dare pro collocanda pecunia dotis in tutis, lictis ac fructiferis nominibus.

Can. 550, § 2: Invigilare ut dotes religiosarum conserventur.

Can. 552: Certiorem fieri de proxima admissione ad novitiatum vel ad professionem religiosarum necnon explorare earum voluntatem.

Can. 580, § 3: Consensum dare pro mutatione cessionis aut dispositionis bonorum a religiosis factae.

Can. 597, § 2: Limites clausurae praescribere aut mutare in monasteriis monialium.

Can. 600, 1º: Ingredi clausuram monasterii monialium durante visitaione, et consensum dare pro admissione aliorum in clausuram (§ 4).

Can. 601, § 2: Concedere licentiam monialibus exeundi extra clausuram in casu necessitatis.

Can. 603, § 1: Vigilare pro observatione legis clausurae.

Can. 604, § 3: Censuris munire legem clausurae in adjunctis gravibus et particularibus.

Can. 607: Advigilandi ne religiosae singulae extra domus pergent.

Can. 608: Exquirendi ministerium apostolicum religiosorum eorumque opera libenter utendi.

Can. 611: Recipiendi litteras, nulli obnoxias inspectioni, a religiosis in suo territorio degentibus.

Can. 612: Imponendi religiosis sonitum campanarum, preces vel sacra sollemnia ob causam publicam.

Can. 616, § 2: Puniendi religiosos delinquentes.

Can. 618, § 2: Plura faciendi quoad religiosos iuris pontificii.

Can. 619: Poenis coercere religiosos in iis in quibus Ordinario loci subduntur.

Can. 620: Indulta concedere quibus obligatio legis communis esset etiam pro religiosis.

Can. 622: Licentiam concedere religiosis iuris pontificii stipem pependi.

Can. 625: Benedictionem dandi Abbatи de regimine.

Can. 630, § 4: Eleemosynas pro ecclesia paroeciali aedificanda, etc., accipere et administrare, si ecclesia, religiosis concredita, non sit communatatis religiosae.

Can. 631: Mandata dare, visitare, corrigere et punire, cumulative cum superiore religioso, parocho vel vicario religioso.

Can. 639: Sese substituendi superiori religioso pro sodali exclastrato.

Can. 641: Recipere religiosum qui saecularizationis indultum iam adeptus est tamquam Episcopus benevolus in propriam dioecesim sive definitive sive ad tempus.

Can. 643, § 2: Dirimere dissensum inter religionem et religiosam sine dote receptam et e religione egredientem quoad ea quae necessaria sunt ad honestam sustentationem.

Can. 645, § 2: Caute curare redditum monialis fugitivae vel apostatae.

Can. 647, § 1: Dimittere monialem a votis temporariis.

Can. 652, § 2: Transmittere acta et documenta pro dimissione monialis ad S. Congregationem de Religiosis».

His prae oculis habitis, Rev.mus Relator censet periculosum esse atque difficile exarare canonem ubi omnes enumerentur materiae in quibus dependentia ab Ordinario loci datur. Textus enim canonis esset nimis longus atque praeterea aliquid oblivisci possumus quod ansam praeberet interpretationi.

Fit adhuc discussio de hac quaestione, in qua diversa repetuntur argumenta, iam antea prolata. In fine disceptationis hi novi textus a quibusdam Consultoribus proponuntur:

*Canon novus, ponendus inter can. 2 et can. 3 (cfr. Rel. IV Sess.)**

«Instituta religiosa iuris dioecesani ea sunt quae peculiari curae Ordinarii loci concreduntur.

Instituta religiosa iuris pontificii ea sunt quae, attentis eorum natura, stabilitate, diffusione in compluribus locis, Sedes Apostolica in immediatam subiectionem sibi absumit, ipsorum regimini interno et religiosae discipline directe providens». (Exc.mus secundus Consultor).

Canon

«I. In regendis Institutis iuris pontificii, praeter alia suis locis statuta, Sedi Apostolicae reservatur:

1° Constitutiones Instituti approbare

2° Immutationes in constitutionibus eiusdem Instituti a Capitulo generali propositas facere.

* Cfr. *Communicationes*, 17 (1985) p. 260.

II. Servata immediata dependentia Instituti religiosi iuris pontificii a Sede Apostolica in iis quae spectant ad regimen internum et ad disciplinam religiosam, Ordinario loci, praeter alia suis locis indicanda, haec iura et officia competunt:... (Exc.mus secundus Consultor).

Canon

«Instituta iuris pontificii, utpote in servitium (bonum) Ecclesiae universae primarie ordinata (*vel* utpote in servitium (bonum) alicuius Ecclesiae localis primarie non ordinata) a potestate Ordinarii loci quoad regimen internum, et, si clericalia sint, quoad disciplinam internam et ab eius iurisdictione eximuntur (*vel* immunes constituuntur)»,

vel explicitatiore formula:

«Instituta iuris pontificii, utpote in servitium (bonum) Ecclesiae universae primarie non ordinata (*vel* in servitium alicuius Ecclesiae localis primarie non ordinata) sub peculiari dependentia Apostolicae Sedis constituuntur; ideoque:

1° Apostolicae Sedi, praeter alia suo loco indicata, unice competit:

- a) Constitutiones Instituti approbare;
- b) Immutationes in Constitutionibus facere vel a Capitulo generali propositas confirmare;
- c) Dispensationes a constitutionibus quae potestatem capitulorum et superiorum excedant, impetrare;
- d) De statu totius Instituti cognoscere.

2° Debita autonomia ad finem proprium prosequendum seu immunitate (*vel* exemptione) a potestate Ordinariorum loci quoad regimen internum, et, si clericalia sint, etiam quoad disciplinam internam et ab eorum iurisdictione gaudent» (octavus Consultor).

Ex parte sua, Rev.mus Relator, omnibus attentis quae prolata sunt a Consultoribus sequentes duas formulas cum respectivis notis explicativis proponit pro canone primo de institutis iuris pontificii:

Canon primus

«Instituta religiosa iuris pontificii, utpote a Sede Apostolica per decre-
tum speciale ercta aut approbata:

1° sub immediata et exclusiva potestate eiusdem Sedis Apostolicae constituantur (praeter casus a iure expressis);

2° immunitate gaudent in regimine interno et religiosa disciplina quae tamen Ordinarii loci potestatis exercitium admittit in casibus a iure expressis (vel: ...disciplina, ita ut Ordinario loci ea tantum liceant quae in iure expresse statuuntur);

3° potestati Ordinarii loci subsunt in iis quae (vel: non eximuntur a potestate Ordinarii loci in iis quae) ad publicum exercitium cultus divini, status clericalis decorum et apostolicam sodalium actuositatem spectant, salvis tamen instituti constitutionibus, eius indole ac spiritu necnon subiectione erga proprios Superiores».

Notae:

a) In formulatione huius canonis conatus factus est reformandi canonom primum in schemate positum iuxta placita Rev. morum Consultorum et quantum possibile in forma positiva.

b) Verba introductiva canonis sumpta sunt ex can. 3, 2° in secunda sessione huius Coetus approbato (cfr. Relationem III^{ae} Sessionis).* Verbum «utpote» additum est ad significandum medium quo institutum factum vel elevatum est ad gradum iuris pontificii, sed absque difficultate omitti potest. Inclinis sum ad illud omittendum quia parum concordat cum n. 3°. Ratio enim subiectionis institutorum vel sodalium in eo casu non est status iuris pontificii in quo instituta et sodales inveniuntur.

c) In n. 1° statuitur immediata potestas Sedis Apostolicae in his institutis. Additur «exclusiva» ut distinctio fiat ab institutis iuris dioecesani in quibus habetur duplex potestas immediata concomitans, nempe Sedis Apostolicae et Ordinarii loci. Ultima clausula inter uncos ponitur quia, meo iudicio, non est ibi necessaria. Casus enim in quibus instituta haec non sunt sub exclusiva potestate S. Sedis exprimuntur in nn. 2° et 3°.

d) In n. 2° describitur effectus praecipuus elevationis instituti ad gradum iuris pontificii, scilicet, elevata authonomia interna instituti ob maturitatem ad quam iam pervenit et ob incrementum quod iam habuit ita ut vitam independentem a cura et tutela necessaria pro institutis iuris dioecesani agere possit.

Haec tamen independentia non est omnimoda et admittit quosdam in-

* Cfr. *Communicationes*, 18 (1986) p. 206.

terventus Ordinarii loci sive in universam categoriam sive in quadam parte eius. Hi tamen interventus in iure expresse concedi debent, quia constituent exceptiones ad normam generalem.

e) Ultimus numerus canonis statuit subiectionem religiosorum iuris pontificii et indirecte institutorum in quodam campo specifico. Haec subiectio tamen non est reservata religiosis huiusmodi, sed extenditur omnibus religiosis indistinctim. Quare, si canon quidam generalis includeretur in quo statuitur subiectio omnium religiosorum potestati Ordinarii loci in operibus apostolatus peragendis et aliis materiis ibidem descriptis, haec pars canonis debet deleri quia erit superflua.

Altera Primi Canonis Formulatio

« In regendis institutis religiosis iuris pontificii, utpote sub immediata et exclusiva potestate Sedis Apostolicae constitutis, eidem, praeter ea quae in aliis canonibus statuuntur, reservatur:

- 1° Constitutiones approbare;
- 2° Immutationes in constitutionibus facere vel a Capitulo generali propositas confirmare;
- 3° In regimine interno et religiosa disciplina intervenire praeter casus a iure Ordinario loci expresse concessos ».

Notae:

- a) In hac formulatione canon est parallelus canoni tertio in praecedenti sessione approbato. Elenchus eorum quae Sanctae Sedi reservantur elongari posset, sed quia agitur hic in parte generali necessarium non duxi hoc facere. Ceterum alii numeri essent quaedam explicitatio n. 3.
- b) Omnia principia in prima formulatione posita hic habentur excepto tertio, nempe de subiectione Ordinario ratione apostolatus, publicum cultum divinum, etc. Insuper expresse ponuntur quae Sanctae Sedi unice reservantur et expresse etiam ponitur Ordinarium posse intervenire in regimine et disciplina religiosa in casibus a iure expressis.
- c) Canon secundus in schemate positus posset immediate sequi vel causus ibidem positi possent relinquendi pro locis opportunis ».

Rev.mus P. Bidagor quaerit sententias Consultorum quoad duas formulas a Relatore propositas.

Exc.mo secundo Consultori magis placet 2^a formulatio. Eamdem sententiam tenent Rev.mi quartus, quintus et decimus Consultores.

Rev.mus tertius Consultor praefert 1^{am} formulam, quia in 2^a formulatione elenches earum rerum quae Sanctae Sedi reservari possunt potest elongari, uti dicitur in nota *a*), et periculosum esse censem.

Rev.mus sextus Consultor praefert 2^{am} formulam propter eius coalescentiam cum his quae dicuntur in can. 3 de institutis iuris dioecesani. Antecepit tamen manet quoad locutionem «exclusiva potestate».

Rev.mus septimus Consultor, cui accedit Rev.mus octavus, praefert 1^{am} formulationem canonis, quia in 2^a quaedam exstant problemata: e.gr. quoad constitutiones institutorum conditiones adsunt diversae, quippe quod instituta quaedam adsint quibus licet, per privilegium atque debitum quidem clausulis servatis, mutatio constitutionis absque Sanctae Sedis interventu (ita Ordo Patrum Praedicatorum, Societas Iesu, Ordo Carmelitanus). Praeterea, post Concilium Vaticanum II (cfr. Motu Pr. *Ecclesiae Sanctae*, n. 6), constitutiones omnium institutorum ab ipsis Capitulis generalibus reformantur et definitiva approbatio reservatur (cfr. Motu Pr. *Ecclesiae Sanctae*, n. 8). In 1^a tamen formula proposita — ait Rev.mus — numeri 1^{us} et 2^{us} in unum forsan redigi possunt.

Rev.mus primus Consultor praefert etiam 1^{am} canonis formulationem. In n. 2^o referentia vero fiat ad Conferentias Episcopales, et in n. 2^o aptius exponatur idea significata sub locutione «status clericalis decorem», ita ut etiam sororibus applicari possit.

His duabus animadversionibus Rev.mi primi Consultoris sequentes dat responsiones Rev.mus Relator:

1) Nihil additur in n. 2^o primae formulae de Conferentiis Episcoporum, quia tempus non videtur adhuc maturum ad tales relationes apte determinandas;

2) Verba «status clericalis decorem» sumpta sunt ex textibus Concilii; si locutio adhibetur magis generalis, tunc extenderetur haec competentia Ordinariorum etiam ad congregaciones quae non sunt clericales. Prae oculis tamen habere debemus familias religiosas florere posse etiam sine indebitis interventibus externis.

Cum Rev.mis P. Bidagor et Relatori magis quoque placeat 1^a formula, maioritas Consultorum est in favorem huius primae formulationis canonis, quae ergo uti basis disceptationis in posterum sumitur.

Suffragationi imprimis submittitur propositio Rev.mi septimi Consultoris de redigendis in unum numeris 1^o et 2^o. Propositio ab omnibus recipitur.

Prima deinde pars § 1 canonis ita a Rev.mo Relatore proponitur exaranda:

«Instituta religiosa iuris pontificii, utpote a Sede Apostolica per decre-
tum speciale erecta aut approbata, sub immediata et exclusiva potestate
eiusdem Sanctae Sedis constituuntur...».

Rev.mus nonus Consultor animadvertisit verbum «exclusiva» praevalen-
tiam tantum significare decisionis Sanctae Sedis.

Omnis nempe potestas cessat in iis in quibus Sancta Sedes manus suas
apponit.

Suffragatione facta, haec prima pars § 1 omnibus placet, excepto
Rev.mo octavo Consultore.

Pro secunda textus parte duae proponuntur formulae quae ita sonant:

A) «... constituuntur quoad regimen internum et religiosam discipli-
nam, salvis...» (Rev.mus septimus Consultor).

B) «... constituuntur quae immunitate gaudent in regimine interno et
religiosa disciplina» (Rev.mus nonus Consultor).

Suffragatur prima formula (A), quae omnibus placet, etiam Rev.mo
nono Consultori, qui huic propositioni accedit.

Pro ultima parte huius paragraphi tres proponuntur formulae, nempe:

A) «... salvis iis quae Ordinarii loci potestatis exercitium admittunt in
casibus a iure expressis» (Rev.mus P. Bidagor).

B) «... salvis facultatibus Ordinariis locorum a iure factis» (Rev.mus
septimus Consultor).

C) «... salvis contrariis in iure expressis» (Rev.mus nonus Consultor).

Suffragationi submittitur haec ultima formula (C), et en exitus suffra-
gationis:

Placet: n. 6 (Bidagor, Relator, decimus, septimus, primus et nonus
Consultores).

Non placet: n. 3 (tertius, quartus et quintus Consultores).

Placet iuxta modum: n. 3 (secundus, sextus et octavus Consultores).

Modus tamen est ut in § 2 canonis mentio explicita fiat de potestate
Ordinariorum locorum. Cum haec sit quoque intentio eorum qui suffra-
gium affirmativum dederunt, Exc.mus secundus atque Rev.mi sextus et oc-
tavus Consultores ad formulam «placet» accedunt, ideoque textus appro-
batur maiore a Consultorum parte.

Transitus fit ad § 2 canonis, pro qua Rev.mus primus Consultor sequentem formulam proponit:

«Potestati praeterea Ordinariorum locorum subsunt in iis quae ad publicum exercitium cultus divini, status clericalis decorem et apostolicam actuositatem spectant».

Formula haec quoad substantiam recipitur, sed committitur Rev.mo Relatori ut textum completum totius canonis proponat, substantialiter quoque servata, sed breviori forma redacta, clausula finali «salvis tamen instituti constitutionibus, eius indole ac spiritu necnon subiectione erga proprios Superiores».

Rev.mus Relator, haec exoptata obsequens Consultorum, sequentem textum cum notis explicativis proponit:

Canon primus

«§ 1. Instituta religiosa iuris pontificii immediatae et exclusivae potestati Sedis Apostolicae subiiciuntur in regimine interno et religiosa disciplina, salvis tamen contrariis in iure expressis.

§ 2. Subsunt praeterea sodales horum institutorum Ordinarii loci potestati in iis quae ad publicum divini cultus exercitium, status clericalis decorem et externa apostolatus opera spectant, ratione habita indolis uniusque instituti propriae et servata religiosa disciplina».

Notae:

a) Praesens canonis formulatio, quae omnia elementa a Coetu approbata includit, appareat simplicior quia omnia quae necessaria non sunt deleta fuerunt.

b) Malui canonem dividere in paragraphos quam in numeros sicut in praecedenti formulatione erat quia imprimis de re distincta, quamvis conexa, quaelibet pars agit et deinde ut in secunda paragrapho subiectum mutari posset. Clarum enim mihi videtur instituta iuris pontificii, ut talia, non subesse Ordinario loci. Unde necessarium fuit loqui de sodalibus et non de institutis. Utrum autem sodales in rebus ibidem determinatis singillatim vel coniunctim Ordinario subiiciantur dependet a modo quo cultum publicum vel externa opera apostolatus exercent.

c) Locutio «apostolica actuositas», licet moderna sit et a Patribus Concilii usitata, minus clara in contextu canonis apparet et propterea mu-

tata est in «externa apostolatus opera» quae etiam in documentis conciliaribus frequenter appetet.

d) Ad simpliciorem formam reducta est ultima phrasis prioris formulationis canonis: «salvis... Superiores» per insertionem verborum: «ratione habita ... disciplina», quae etiam ex documentis conciliaribus sumpta sunt.

e) Rev.mus quintus Consultor suggessit ut loco «status clericalis decorum» dicatur: «status clericalis et religiosi decorum». Mihi videtur decorum status religiosi servare ad superiores religiosos spectare et non ad Ordinarium loci. Ceterum, si superiores hoc negligant, Ordinarius in reos animadvertere potest si dedecus extra domum religiosam accidit et praesertim si hoc fiat cum scandalo.

Suppressio introductionis canonis, eius divisio in duas §§ atque mutationes mere stylisticae quae factae sunt in § 1, omnibus Consultoribus placent.

Ipse Rev.mus Relator proponit ut deleantur in § 2 verba «status clericalis decorum», quia aequivocationes inducere possunt. Hoc enim ius immediate pertinet ad Superiorem religiosum. Si correctiones faciendas censemt Ordinarius loci, eas quidem faciat, non autem directe, sed indirecte: per Superiores religiosos quibus religiosi immediate sunt subditi.

Exc.mus tertius Consultor obiicit haec verba desumpta esse ex Decreto «Christus Dominus», n. 35, § 4, ideoque manere debere.

Exc.mus secundus Consultor praeferit ut de hac re agatur ubi de obligacionibus religiosorum.

Fit suffragatio cuius exitus est:

Placet suppressio: n. 7 (Bidagor, Relator atque secundus, sextus, septimus, primus ac nonus Consultores).

Non placet: n. 4 (tertius, quartus, quintus et decimus Consultores).

Ergo delentur verba «status clericalis decorum».

Rev.mus quartus Consultor querit quid significetur per locutionem «externa apostolatus opera», quia forsitan verbum «externa» quasdam lignere posset confusiones.

Respondet Rev.mus Relator «externa» significare opera quae non fiunt pro communitate, e.gr. schola publica pro fidelibus dioecesis.

Rev.mus quintus Consultor, cui accedit Rev.mus octavus, censemt includenda esse in canone omnia verba § 4, n. 35 Decr. «Christus Dominus», nempe «in iis quae ad publicum exercitium cultus divini... sacri apostolatus exercitium respiciunt».

Respondet Rev.mus Relator, cui alii accedunt, haec omnia explicitationes tantum esse locutionis in canone propositae, quae characterem habet magis iuridicum et generalem.

Rev.mus octavus Consultor proponit ut in ipsa § 2 verbum «potissimum» addatur («in iis potissimum quae...»), sed propositio a ceteris Consultoribus non recipitur.

Denique suffragationi submittitur clausula finalis § 2, nempe «ratione habita indolis uniuscuiusque instituti propriae et servata religiosa disciplina».

Clausula haec ab omnibus approbatur.

Textus ergo definitivus huius can. 1 ita sonat:

«§ 1. Instituta religiosa iuris pontificii immediatae et exclusivae potestati Sedis Apostolicae subiciuntur in regimine interno et religiosa disciplina, salvis tamen contrariis in iure expressis.

§ 2. Subsunt praeterea sodales horum institutorum Ordinarii loci potestati in iis quae ad publicum divini cultus exercitium et externa apostolatus opera spectant, ratione habita indolis uniuscuiusque instituti propriae et servata religiosa disciplina».

(Hic textus etiam approbatur postea ab Exc.mo undecimo Consultore, qui absens erat quando suffragationi Consultorum canon submissus fuit).

Canon secundus

Textus a Rev.mo Relatore propositus erat sequens:

«Quod attinet ad instituta religiosa iuris pontificii, praeter alia suis locis indicanda, Ordinario loci competit:

1º Visitare: *a)* monasteria monialium quinto quoque anno (nisi sint Superiori regulari subiecta et etiam ista si Superior regularis intra hoc tempus non visitaverit); *b)* domos instituti clericalis in iis quae pertinent ad ecclesiam, oratorium publicum, sedem et sacramentum poenitentiae; domos instituti laicalis etiam quod attinet ad internam disciplinam;

2º Praesidere: *a)* electioni Antistitiae in monasteriis monialium; *b)* electioni Supremae Moderatricis instituti quando electio intra limites proprii territorii locum habet;

3º Explorare voluntatem adspirantium puellarum saltem triginta diebus ante initium novitiatus ac novitiarum et candidatarum ad professionem perpetuam ante emissionem votorum;

4º Exquirere a Superioribus religiosis ministerium sodalium, ad consulendum populi necessitatibus sive in eorum ecclesiis vel oratoriis publicis sive alibi praestandum;

5º Imponere religiosis preces vel sacra sollemnia ob causam publicam;

6º Mandata dare parocho vel vicario religioso, eos visitare, corrigere et punire in iis tantum quae ad eorum officium spectant;

7º Dimittere monialem a votis temporariis».

Animadvertisit vero Rev.mus Relator expungi debere ex hoc textu quod dicitur de cultu divino et de apostolatu seu ministerio sodalium externo: sunt enim res de quibus iam actum est in canone primo. Etiam de monachis hoc in canone agendum non videtur, quia ius monachorum in separata sede pertractandum est. Praeterea, ad visitationem quod attinet res matutius pverstiganda videtur, iuxta deliberata quando agebatur de visitatione canonica institutorum iuris dioecesani. Denique — concludit Rev.mus Relator — hodie dubitatur, attentis praesertim exoptatis mulierum ut tanquam «maiores» in iure canonico considerentur, utrum retinenda adhuc sit necne interferentia Ordinariorum locorum in electione Antistitiae monialium vel Supremae Moderatricis instituti, quando electio intra limites proprii territorii locum habet.

His pree oculis habitis, Rev.mus Relator proponit ut textus huius canonis 2 supprimatur.

Exc.mus secundus Consultor huic propositioni accedit, sed unum saltem punctum affirmandum censet, videlicet ius Episcoporum visitandi domos religiosas, quoad res liturgicas et pastorales, occasione visitationis canonicae dioecesis.

Exc.mus tertius Consultor accedit quoque suppressioni canonis.

Attamen, quoad praesentiam Episcopi in memoratis electionibus, animadvertisit maiores abusus dari propter absentiam Ordinarii quam propter eius praesentiam.

Rev.mus duodecimus Consultor sententiam quoque tenet in favorem suppressionis canonis. Insistit etiam in necessitate, a Rev.mo Relatore memorata, de discriminationibus in iure vitandis inter viros et mulieres, saltem ut dispareat condicio submissionis mulierum quae habetur in normis hodierni Codicis. Relate ad electiones, Rev.mus animadvertisit periculum abusus etiam adesse in institutis religiosis virorum: quare ergo in iis praesentia Episcopi non videtur necessaria? Eadem consideratio fieri potest quoad explorationem voluntatis adspirantium: experientia quae habetur in S.C. pro Doctrina Fidei suggerere videtur ut talis exploratio voluntatis

semper fiat, sive agatur de mulieribus sive de viris; quaestio tantum est de auctoritate ad quam pertinet hanc necessariam explorationem voluntatis candidati peragere.

Rev.mus quintus, cui accedit Rev.mus duodecimus Consultor, censet ut ad visitationem institutorum seminarum saepe opportunius providetur per ipsas Superiorissas, quia in vita conditioneque seminarum problema peculiaria exsurgunt quae ab hominibus non facile intelliguntur.

His respondet Rev.mus Relator quaestionem de visitationibus internis solvendam esse in singulis constitutionibus. Nunc tamen agitur de visitatione canonica ex parte Ordinarii loci: ad hanc visitationem canonicam quod attinet forsan potest statui ut amplius non habeatur in dioecesis hodierna figura Vicarii pro religiosis mulieribus, quod non paucas gignit difficultates.

Rev.mus octavus Consultor quaerit, cum Exc.mis secundo et tertio Consultoribus, ut ius et officium visitationis ex parte Ordinarii affirmetur. Simil quoque determinetur obiectum huius visitationis quod quidem diversum erit iuxta institutorum diversitatem.

Etiam Rev.mus nonus Consultor censet principium visitationis canonicae esse ponendum in canone, sed dici non debere ut talis visitatio fieri etiam possit per delegatos Episcopi.

Omnes ergo Consultores sunt concordes in eo quod principium visitationis canonicae, ut ius et officium Ordinarii, sustineatur. Quoad tempus visitationis omnes quoque censem visitationem ab Ordinario esse faciendum occasione visitationis canonicae dioecesis.

His attentis quae a Consultoribus in disceptatione prolata sunt, prae-
sertim ab Exc.mo secundo Consultore, Rev.mus Relator sequentes duas
formulationes proponit pro novo canone secundo:

Canon secundus

«Ordinarii loci ius et officium est, tempore visitationis pastoralis sui territorii (et quoties graves causae id suadent), domos institutorum religiosorum iuris pontificii in eodem territorio sitas visitare quod attinet ad observantiam legum liturgicarum in exercitio divini cultus publici et ad opera externa apostolatus, quae forte ibidem a sodalibus peraguntur, necnon abusus, si qui irrepserint, corrigere».

Altera formulatio

«Ordinariorum locorum ius et officium est invigilandi, per visitationem quoque domorum potissimum tempore pastoralis visitationis sui ter-

ritorii, ut leges liturgicae in exercitio cultus divini publici et normae quoad opera externa apostolatus a sodalibus institutorum religiosorum iuris pontificii in eorum domibus, ecclesiis et publicis oratoriis adamussim serventur. Quod si abusus hac in re irrepsisse cognoverint, per opportuna remedia corrigerentur».

Quaeritur imprimis a Rev.mo P. Bidagor quaenam ex duabus formulis proposit magis placeat. Differentia inter eas — ait Rev.mus Relator - in eo potissimum est quod in 2^a formulatione magis insistitur in notione visitationis canonicae uti ius et officium invigilandi ex parte Episcoporum.

Exc.mus undecimus Consultor praefert alteram formulationem, quia magis generalis, sed adhaeret etiam primae formulae. Quaerit tamen an in aliquo loco sermo fieri debeat de vigilantia Ordinariorum ut sorores religiosae, etiam iuris pontificii, leges Ecclesiae atque constitutiones rite servent.

Huic quaesito Rev.mus Relator, memorans deliberata quoad canonem 1 iam approbatum, respondet Ordinarium loci sese ingerere non posse in regimine interno et disciplina religiosa institutorum iuris pontificii, sive virorum sive mulierum. (Item dicit Rev.mus septimus Consultor, qui animadvertisit rem esse solutam per nn. 22-40 Motu Pr. «Ecclesiae Sanctae» in applicatione Decreti «Christus Dominus», nn. 34-35).

His dictis accedit Exc.mus undecimus Consultor, qui tamen censet has quaestiones clare enucleandas esse, praesertim ut non claudatur sororibus possilitas aperiendi animos ad Ordinarios.

Exc.mus secundus Consultor praefert primam formulationem, sed non videt necessitatem specificandi leges liturgicas quoad ius Episcoporum invigilandi circa divini cultus exercitium.

Exc.mo tertio Consultori magis placet altera formula. Praefert tamen ut opera externa apostolatus non necessario connectantur cum domibus et ecclesiis religiosorum.

Rev.mus quartus Consultor est pro secunda formulatione, quia in ipsa verbum «potissimum» adhibetur. Proponit vero ut in fine canonis deleatur locutio: «Quod si abusus hac in re irrepsisse cognoverint, per opportuna remedia corrigerentur».

In favorem quoque secundae formulae se declarant Rev.mi decimus et quintus Consultores, qui ultimus proponit ut sermo non fiat de legibus liturgicis «in exercitio cultus divini publici»: omnis enim cultus — ait Rev.mus quintus Consultor — est publicus, non privatus.

Huic animadversioni respondet Rev.mus Relator, dicens in textu adhibendam esse terminologiam iuridicam; per verbum «publicus» significatur non agi de cultu pro sola communitate religiosa, sed pro fidelibus dioecesis.

Rev.mus septimus Consultor hanc proponit formulam ex duabus precedentibus desumptam: « Ordinariorum locorum ius et officium est invigilare, tempore visitationis pastoralis sui territorii domos institutorum religiosorum iuris pontificii... », et postea sequitur textus primae formulae, suppressis verbis « quae forte ibidem a sodalibus peraguntur » (haec enim opera externa apostolatus fieri etiam possunt extra domos et ecclesias vel oratoria religiosorum) atque verbis « necnon abusus, si qui irrepserint, corrigere » (sunt verba superflua et aliquo modo negativa et odiosa). Ad difficultatem quod attinet Rev.mi quinti Consultoris, memorat distinctionem faciendam inter « cultum » et « cultus exercitium », quod quidem privatum esse potest, uti dicitur in ipso Motu Proprio « Ecclesiae Sanctae ».

Cum dictis a Rev.mo septimo Consultore concordant quoque Rev.mi sextus et primus Consultores.

Rev.mus octavus Consultor praefert secundam formulam a Relatore propositam. Attamen non admittit ut ius invigilandi in liturgia restringatur ad solas « leges liturgicas », quia, optima quidem sororum voluntate, possunt etiam haberi e.gr. orationes fidelium parum theologicae vel revera haereticae.

Rev.mus nonus Consultor, cui magis etiam placet prima formulatio, sequentia animadvertisit:

- 1) ius invigilandi est quidem ius nativum Episcopi, ideoque non necesse est ut explicite dicatur in canone;
- 2) ius corrigendi valet pro omnibus visitationibus etiam pro his quae a visitationibus internis peraguntur, ergo delenda videtur clausula in fine canonis posita.

Exc.mus secundus Consultor, memorans sensum huius canonis esse vigilantium quae ex parte Episcopi per visitationem exercetur, sequentem proponit formulam:

« Ordinarii loci ius et officium est domos institutorum religiosorum iuris pontificii in suo territorio sitas visitare quod attinet ad publicum exercitium divini cultus et ad opera externa apostolatus, tempore visitationis pastoralis illius territorii et quoties graves causae id suadeant ».

Exc.mo undecimo Consultori, cui accedit Rev.mus octavus Consultor, placet formula proposita ab Exc.mo secundo Consultore, sed expostulat ut dicatur « *potissimum* tempore visitationis pastoralis... ». Ita non restringitur ius Ordinarii visitandi.

Obiicit tamen Exc.mus secundus Consultor hic agi de visitatione tantum canonica, quia visitatio pastoralis semper quidem ab Ordinario fieri

potest. His dictis ab Exc.mo secundo accedunt Rev.mi quartus, quintus, septimus (qui denuo memorat rationes ob quas magis convenit ut visitatio canonica dioecesis et visitatio canonica institutorum religiosorum fiant per modum unius) et alii Consultores.

Rev.mus duodecimus Consultor animadvertisit clausulam finalem «et quoties graves causae id suadeant» deleri forsan posse, si addatur verbum «potissimum». Attamen, cum haec additio maioritati Consultorum non placeat, manet supradicta clausula finalis.

Denique Rev.mus nonus Consultor proponit latinitatis causa, ut in fine textus deleantur verba «illius territorii», quia iam ante dicitur «in suo territorio».

Animadversio recipitur.

Textus ergo huius canonis 2 qui, expleta disceptatione, suffragationi submittitur, ita sonat:

«Ordinarii loci ius et officium est domos institutorum religiosorum iuris pontificii in suo territorio sitas visitare quod attinet ad publicum exercitium divini cultus et ad opera externa apostolatus, tempore visitationis pastoralis et quoties graves causae id suadeant».

Facta suffragatione, textus unanimiter approbatur ut iacet.

Canon forte addendus

Rev.mus Relator sequentem proponit textum novi canonis cum relativa nota explicativa:

«Ad fovendas concorditer et fructuose mutuas relationes inter Ordinarios locorum et sodales institutorum religiosorum magnopere commendantur conventus inter eosdem Ordinarios et Superiores, praesertim Maiores, institutorum, statis temporibus et quoties id opportunum videbitur habendos, ut mutuo inter se collatis consiliis procedant in iis quae opera apostolatus a sodalibus religiosis exercenda respiciunt et ad negotia tractanda quae universim ad apostolatum in territorio pertinent».

Nota:

Inopportunum non videtur hunc vel similem canonem hic adiungere ex Decreto Christus Dominus, n. 35, 5-6 desumptum. Conventus inter Ordinarios locorum et Superiores religiosos non solum inserviunt ad bonas et amicabiles relationes inter eos fovendas et ad opera apostolatus in territorio melius concordanda, vel ut hodie dicitur planificanda, sed etiam ut Ordinarius loci melius cognoscere et aestimare possit contributionem non

parvam quam sodales institutorum afferunt in territorio et Superiores et sodales melius cognoscant necessitates et exigentias apostolicas christifidelium et sic magis allicantur ad suam operam plenius et utilius afferendam pro animarum salute».

Rev.mus P. Bidagor sententias exquirit Consultorum cum de ipsius textus tenore (agitur enim potius de exhortatione facienda quam de strictis statuendis relationibus iuridicis) tum de loco, in hac scilicet parte Codicis vel in legislatione de Episcopis, ubi hic novus canon ponendus videatur.

Exc.mus secundus Consultor, cui accedunt Exc.mus tertius atque Rev.mi quartus, decimus, quintus, et septimus Consultores, dicit hunc textum sibi quoad substantiam placere, et adiungit forsitan esse bonum ut quid de Conferentiis Episcoporum etiam dicatur. Approbat quoque textum etiam si forma exhortativa exaretur. Quoad locum ponendi canonem censet Exc.mus hanc questionem postea esse solvendam.

Rev.mus sextus Consultor praefert ut textus modo praceptivo redigatur: e.g. «faciendi sunt conventus inter Ordinarios et Superiores...». Huic propositioni accedunt Rev.mus octavus et Ill.mus tertius decimus Consultores.

Rev.mus primus Consultor, cui textus quoque placet, animadvertisit in locutione generali «Ordinarii locorum» iam inveniri Conferentiis Episcopales, quapropter necessarium non existimat ut specialis et explicita mentio de iisdem Conferentiis fiat.

Rev.mo nono Consultori textus propositus placet, attamen proponit ut canon breviore forma redigatur. Censet Rev.mus hic esse statuendum principium tantum generale, dum praescripta de particularibus in tota legislatione esse distribuenda. Praefert etiam, quia videtur magis ampla, locutio «conventus Ordinariorum locorum» potius quam «Conferentiae Episcopales».

Huic adunationi praeest Em.mus Card. Felici, Commissionis Praeses, qui auditis his opinionibus, consultorum considerationi sequentes quaestiones proponit:

1) an sufficiat ut textus sit mera commendatio; si diceretur e. gr. «conventus habeantur» formula non esset praceptiva sensu stricto, nihilominus esset exhortatio magis fortis;

2) an quaestio quae proponitur aliquomodo connexa sit cum quaestione de Consilio pastorali dioecesano (cfr. Decr. «Christus Dominus», n. 27) in quo religiosi quoque partem habent et cuius est de operibus apostolatus in dioecesi pertractare sub praesidentia Episcopi.

Rev.mus Secretarius respondet in nostro canone non agi de tota actione pastorali dioecesana ordinanda — quod fit in Consilio pastorali — sed de operibus tantum apostolicis in quibus Episcopus praecepta dare potest religiosis. Hac quidem ratione videtur de Consilio pastorali alio loco agendum esse.

Rev.mus septimus Consultor, cui alii accedunt Consultores, animadvertisit quod in schemate nostro quaestiones ita successive pertractantur:

- a) de auctoritate Sanctae Sedis relate ad instituta religiosa;
- b) de auctoritate Episcoporum locorum relate ad ipsa instituta;
- c) de auctoritate Superiorum internorum.

Nunc, in novo canone proposito, agendum est de conventibus habendis inter Episcopos et Superiorum religiosos.

Exc.mus tertius cum dictis a Rev.mo septimo Consultore concordat, sed cum agatur de relationibus inter Ordinarios et instituta religiosa, proponit ut loco «et sodales institutorum religiosorum» dicatur «et instituta religiosa», quae quidem a Superioribus repraesentantur.

Card. Felici existimat formulam propositam in eodem gradu ponere Episcopos et Superiorum religiosos, quapropter videtur agi de conventibus quae fiunt inter aequales, quod non est verum.

Respondet tamen Rev.mus Relator, et accedit Em.mus, propositum huius canonis esse tantum iura concordare collatisque consiliis apte integrare iis in materiis ubi simul incident iura Episcoporum atque iura Institutorum religiosorum.

Rev.mus septimus Consultor memorat praescriptum n. 35,5, § 2, Decr. «Christus Dominus», ubi commendatur ut Episcopi et Superiorum religiosi «praeviis consiliis mutuo inter se collatis» procedant «pro operibus apostolatus quae a Religiosis exercentur», atque praescriptum n. 35, 6 ipsius Decreti in quo commendantur conventus inter Episcopos et Superiorum religiosos «ad negotia tractanda, quae universim ad apostolatum in territorio pertinent». In nostro canone — sequitur Rev.mus — duo haec diversa praescripta in unum colligi possunt, dempta tamen expressione «praeviis consiliis», quae in Motu proprio «Ecclesiae Sanctae» non appareat (videbatur enim aliquibus hoc verbum «praeviis» minuere iura Episcoporum). Alia solutio esset — proponit denique Rev.mus Consultor — ut in nostro canone agatur tantum de necessitate procedendi «collatis consiliis» quoad opera externa apostolatus quae a religiosis peraguntur.

Exc.mus secundus Consultor proponit ut dicatur: «Quoties opportu-

num appareat Ordinarii locorum conferant consilia cum superioribus religiosis... ». Ita formula erit magis ampla.

Rev.mus nonus Consultor novum proponit textum qui ita sonat:

« Ad fovendas semper melius mutuas relationes cum institutis religiosis promoveant Ordinarii locorum conventus cum superioribus religiosis, praesertim maioribus, statis temporibus et quoties id opportunum videtur, ut mutuo inter se collatis consiliis procedant in iis quae ad apostolatum pertinent ».

Rev.mus Relator, cui alii accedunt Consultores, hanc formulationem approbat quoad substantiam.

Rev.mus quintus Consultor expostulat ut in fine textus sequentia addantur verba: « speciali habita ratione spiritualium necessitatum dioecesium ». Additio tamen aliis Consultoribus non videtur necessaria.

Exc.mus undecimus Consultor praefert ut dicatur — sunt enim verba Decreti *Christus Dominus* n. 35, 5) « consiliis mutuo inter se collatis pro operibus apostolatus quae a religiosis exercentur ». Memorat quoque Exc.mus verba Motu proprio *Ecclesiae Sanctae II*, n. 43, ubi nominantur etiam Superiorissae, ipsae ergo includendae sunt in canone.

Huic ultimae animadversioni respondet Rev.mus Relator Superiorissas iam implicite esse inclusas, quia agitur de relationibus « cum institutis religiosis » omnibus.

Ill.mus tertius decimus Consultor proponit sequentem additionem in lin. 2 post verbum « religiosis » faciendam: « ...et ad fructuose promoven- dam in territorio suo unitatem actionis apostolicae... ». In fine vero canonis expungenda esse censet verba « ut mutuo inter se collatis consiliis proce- dant in iis quae ad apostolatum pertinent ».

Exc.mus secundus Consultor ita proponit exarandam rationem ob quam huiusmodi conventus haberi debent: « ut procedant in organica ac- tione ». Agitur enim — ait Exc.mus — de fovenda in dioecesi generali coo- peratione apostolica, non tantum in operibus apostolatus quae religiosis pertinent. Haec cooperatio in omnibus, ratione unitatis pastoralis dioece- sis, maximi momenti est.

His dictis ab Exc.mo secundo Consultore accedit Exc.mus tertius Con- sultor.

Rev.mus Relator animadvertisit, quoad proposita ab Exc.mis secundo et tertio et ab Ill.mo tertio decimo Consultoribus, in nostro canone non agi de generali unitate pastoralis dioecesis (« pastoral d'ensemble »), sed de rela- tione regiminis inter Episcopos et Auctoritatem religiosam relate ad opera apostolatus quae institutis religiosis pertinent.

Huic responsioni accedit, praeter alios Consultores, Rev.mus septimus. Finis huius canonis est — ait Rev.mus — concordare iura sive potestates tum Episcoporum tum Superiorum religiosorum quoad opera externa apostolatus religiosi. His enim in rebus religiosi omnes subsunt auctoritati Episcoporum. Quoad alias materias — e.gr. studia communia perficienda, etc. — res diverse se habent (can. 1), videlicet: Episcopi propria criteria imponere non possunt religiosis, sed nihil quidem obstat quomodo Episcopi Superiorum religiosos convocent et cum iisdem etiam de iis aliis materiis colloquantur. Haec tamen idea, quae quidem est bona, alio loco ponenda videtur, non hic, ubi tantum de auctoritate episcopali sermo est.

Exc.mus secundus Consultor his dictis accedit, sed quaerit ut etiam de hac organica actione dioecesana in nostro Codice, agatur.

Quod omnibus placet.

Fit adhuc parva discussio in cuius fine Rev.mus Relator sequentes trahit conclusiones:

- 1) Religiosi habent ius ad apostolatum exercendum;
- 2) Hic apostolatus fit sub directione Episcoporum, etiam si instituta sint iuris pontificii, et servata quidem natura uniuscuiusque instituti;
- 3) Occasio ergo dari potest conflictuum inter Episcopos et instituta religiosa, et ex hoc exurgit necessitas ut habeantur conventus. Haec est ratio huius canonis 3.

In hoc omnes Consultores conveniunt, ideoque Rev.mus P. Bidagor sequentem proponit textum, demptis primis verbis exhortativis quae in precedenti formula habebantur:

«Ordinarii locorum conventus promoveant cum Superioribus religiosis, praesertim maioribus, statis temporibus et quoties id opportunum videbitur, ut consiliis mutuo inter se collatis procedant, in iis quae ad apostolatum pertinent».

Exc.mus undecimus Consultor, cui alii accedunt, censet ultima verba canonis aptius ita esse exaranda: «... ut pro operibus apostolatus quae a religiosis exercentur, consiliis mutuo inter se collatis procedant».

Formula ergo canonis quae tandem suffragationi submittitur ita sonat:

Can. 3

«Ordinarii locorum conventus promoveant cum Superioribus religiosis, praesertim maioribus, statis temporibus et quoties id opportunum vi-

debitur, ut pro operibus apostolatus quae a religiosis exercentur, consiliis mutuo inter se collatis procedant».

Suffragatione facta hic textus omnibus placet.

III. DE REGIMINE INTERNO INSTITUTORUM RELIGIOSORUM

Antequam disceptatio incipiatur de hac materia, pro cuius tractatione quaedam proponuntur formulae canonum in relatione introductiva, Rev.mus Relator sequentia criteria generalia iudicio Consultorum submittit:

- 1) ut quantum fieri possit normae generales de regimine interno religiosorum simplificantur, ceteris relictis ad Constitutiones, ita ut familiae religiosae possint magis inter se distingui et florere iuxta uniuscuiusque spiritum;
- 2) ut tollantur discriminationes inter religiosos et religiosas ne appareat ipsas constituere quandam sectionem vel classem inferiorem religiosorum;
- 3) ut magnae differentiae inter diversas species institutorum tollantur: e.gr. per extensionem potestatis iurisdictionis omnibus institutis clericalibus iuris pontificii (etiam non exemptis), et non tantum ad Superiores Generales sed etiam regionales et locales, forma quidem non subdelegata (uti in Rescripto Pontificio «Cum admotae»).

His attentis criteriis, Rev.mus Relator sequentem proponit textum:

Can. I (5 in Relatione)

«Capitula et Superiores omnium institutorum religiosorum, ad normam iuris communis et propriarum Constitutionum, potestatem dominativam in subditos obtinent; in institutis autem clericalibus iuris pontificii gaudent quoque iurisdictione ecclesiastica tam pro foro interno, quam pro foro externo».

Exc.mus tertius Consultor dicit se admittere propositam extensionem potestatis iurisdictionis dummodo agatur tantum de regimine interno religiosorum.

Item sentiunt Rev.mi primus, quartus, quintus, decimus et alii Consultores.

Rev.mo septimo Consultori placeret ut haec potestas iurisdictionis extendatur etiam ad instituta clericalia iuris dioecesani, dummodo ponatur clausula «ad normam iuris»; attamen solutio totius huius quaestionis vide-

tur pendere ab ipsa notione potestatis iurisdictionis, alio loco Codicis bene definiendae. Quoad Capitula, Rev.mus censet clare esse statuendum quomodo potestas exerceatur perdurante Capitulo. Dubitat denique de opportunitate adhibendi formula «Capitula et Superiores», quae proponitur; forsitan esset melius si diceretur uti in iure vigenti, «Superiores et capitula» (His dictis assentit Rev.mus nonus Consultor).

Rev.mus P. Bidagor animadvertisit quod si omnibus Superioribus datur potestas iurisdictionis, tunc omnes venirent sub nomine «Ordinarii», non tantum Superiores maiores religionis clericalis exemptae. Mens est ut supprimatur sic dicta «potestas dominativa publica». Attamen ex hoc exurgit nota quaestio de potestate in institutis laicalibus; potestne potestas iurisdictionis extendi ad laicos, etiam ad mulieres? In iure hodierno (cfr. can. 118), soli clerici sunt capaces obtinendi potestatem iurisdictionis, sed hoc in doctrina non est pacificum. Quaestio haec evidenter connectitur cum alia memorata quaestione de potestate Capitulorum, quia etiam in Capitulis laici partem habent.

Rev.mus septimus Consultor cum memoratis a Rev.mo Secretario consentit et adiungit propter hoc esse necessarium ut profundius perveстиgetur quaestio de potestate iurisdictionis: eius natura et quibus dari possit. Haec enim quaestio adhuc aperta est sub respectu theologico.

Cum de hac materia in alio coetu studiorum pertractandum sit, sola quaestio quae nunc iudicio Consultorum submittitur est de extensione potestatis iurisdictionis uti proponitur in supradicta canonis formula.

Rev.mus octavus, uti praecedentes Consultores qui locuti sunt, approbat quoque formulam, sed adiungit hanc quaestionem connexam quidem esse cum quaestione de exemptione, quia si talis extensio fiat tunc haberentur semper duo Ordinarii pro iisdem personis: Ordinarius loci et Ordinarius religiosus. Hoc ergo bene componi debet, ne exurgent difficultates. Censet denique Rev.mus potestatem iurisdictionis extendi non debere ad instituta iuris dioecesani.

Rev.mus nonus Consultor, qui approbat formulam propositam, respondet Rev.mo octavo Consultori, quod iam in Codice aliquo modo habetur duplex iurisdictio. Attamen etiam exempti puniri possunt ab Episcopo. Ubi habetur enim bina iurisdictio praevallet iurisdictio propria. Quoad instituta iuris dioecesani prae oculis habeatur duas categorias adesse: illae quae crescunt et fiunt iuris pontificii, atque illae quae natura sua, attenta propria spiritualitate, volunt manere dioecesanae.

Exc.mus secundus Consultor quaerit an sit revera utilis locutio «tam pro foro interno quam pro foro externo» per ipsam enim laici excludentur a possibilitate exercendi potestatem iurisdictionis.

Respondet tamen Rev.mus nonus Consultor quod, etiam si laicis non detur potestas iurisdictionis in foro interno sacramentali, quaedam semper ipsis tribui possunt in foro interno non sacramentali.

Attamen cum de potestate ecclesiastica alio in Coetu agendum sit, relinquitur haec quaestio, et suffragationi submittitur formula canonis uti proposita est a Relatore, demptis in lin. 4 verbis « iuris pontificii ».

Suffragatione facta, hic textus omnibus placet, excepto Rev.mo octavo Consultore (qui est contra extensionem potestatis iurisdictionis ad instituta clericalia iuris tantum dioecesani).

Nulla alia quaestio pertractatur et ita finis huic Sessioni studii imponitur.

Romae, die 14 decembris 1968.

I. HERRANZ
Actuarius

CANONES APPROBATI IN I^a SESSIONE *

Canon

§ 1. Status religiosus, in quo fideles, mundo renuntiantes et Christum pressius sequentes, publica professione consiliorum evangelicorum, Deo summe dilecto totaliter et stabiliter mancipantur, praclarum signum constituit in Ecclesia, gloriam Regni coelestis praenuntians, ideoque ab ea speciali modo fovetur.

§ 2. Haec professio consiliorum evangelicorum castitatis nempe, paupertatis et oboedientiae fieri debet secundum formam ab Ecclesia approbatam et voto firmari vel alio sacro vinculo.

* In sessione dici 26 nov. 1966 deciditur:

a) Paragraphus 1^a formulationem habeat directam circa statum religiosum qui definitur, non indiretam (5 suffragia contra 3);

b) In hac paragrapho explicita fiat mentio trium consiliorum castitatis, paupertatis et oboedientiae (5 suffragia contra 3);

c) In eadem paragrapho mentio fiat de « dono Dei » Ecclesiae facto relate ad statum religiosum (unanimiter). Formulatio tamen in qua ratio haberetur harum emendationum propter temporis defectum nondum approbata fuit.

Canon

§ 1. Nomine monachi venit religiosus qui, secundum primaevas formas professionis consiliorum evangelicorum traditas, morum conversione vitam vel anachoreticam vel caenobiticam dicit in opere Dei et in labore, ut in rerum divinarum contemplatione et in caritate apostolica solum Deum Eiusque Regnum quaerat.

§ 2. Monachus, iis tantum apostolatus vel christiana caritatis operibus incumbere potest quae cum vitae monasticae indole consentanea sint.

§ 3. Religio monastica per se nec clericalis nec laicalis est.

Canon

Nomine eremita seu anachoretae venit religiosus qui vitam complete solitariam in quiete et silentio, assiduaque prece, lectione, labore et alacri poenitentia in laudis sacrificium offert et arcana foecunditate apostolica Ecclesiam ditat.

Canon

Institutum religiosum centralizatum est illud in quo ad suos fines asse- quendos sodales religiosam vitam ducunt secundum easdem constitutiones sub Moderatore generali.

CANONES APPROBATI IN II^a SESSIONE*Canon*

§ 1. Status religiosus est stabilis vivendi forma ab Ecclesia probata qua fideles, mundo renuntiantes et Christum pressius sequentes, Deo summe dilecto totaliter mancipantur per professionem publicam voto firmatam consiliorum evangelicorum, castitatis nempe, paupertatis et oboedientiae, ita ut ad Dei honorem et servitium atque in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem novo et peculiari titulo referantur.

§ 2. Status igitur religiosus, qui praeclarum signum constituit in Ecclesia, gloriam Regni coelestis praenuntians, ab ipsa enixe commendatur et fovetur.

Canon

Vota religiosa sunt vota publica in quacumque religione emissa, sive perpetue sive non, quorum effectus iure communi atque constitutionibus unicuique Instituto propriis determinantur.

Canon

Institutum religiosum est societas a legitima auctoritate ecclesiastica erecta, quaeque personalitatem canonicam donatur, et cuius sodales statum religiosum ad normam canonis 1 (canonis nempe descriptivi huius status) amplectuntur:

- 1) Institutum religiosum dicitur clericale quod, vi Constitutionum, specialem persequitur imprimis finem, qui exercitium munerum clericalium secumfert quodque uti tale in erectionis decreto agnoscitur, et cuius igitur sodalium magna pars clerici sint oportet; secus non-clericale dicitur.
- 2) Institutum religiosum dicitur iuris pontificii quod ab Apostolica Sede aut erectum aut per speciale decretum approbatum est; dicitur iuris dioecesani quod ab Episcopo dioecesano quidem erectum huiusmodi approbationis decretum ab Apostolica Sede non est consecutum.

Canon

Nomine religiosorum veniunt etiam religiosae, nisi ex contextu sermonis aut ex natura rei aliud constet. Moniales dicuntur religiosae, quae vota religiosa emiserunt ad normam regulae et vitam imprimis contemplativam ducunt; caeterae appellantur sorores.

Canon

Domus religiosa est domus alicuius Instituti religiosi, qua talis legitime erecta; formata dicitur in qua degunt quinque saltem religiosi votorum perpetuorum.

Canon

Provincia religiosa est pars Instituti, personalitate canonica gaudens, pluribus constans domibus religiosis inter se coniunctis, sub eodem Superiore.

CANONES APPROBATI IN III^a SESSIONE*Can. 1*

§ 1. Episcopi dioecesani aliique in iure ipsis aequiparati, Spiritus Sancti impulsus sequentes, in suo quisque territorio instituta religiosa iuris dioecesani formali decreto erigere possunt, dummodo praecesserit propriae Episcoporum Conferentiae consensus a Sede Apostolica recognitus.

§ 2. Si agatur de instituto religioso tertiariorum erigendo, requiritur praeterea praevius consensus Supremi Moderatoris primi Ordinis ad eiusdem legitimam aggregationem.

§ 3. In suo eliendo iudicio circa erectionem novorum institutorum religiosorum, Conferentiae Episcoporum caveant ne multiplicentur instituta quae fere eandem habeant naturam, fines et indolem vel similibus operibus externis incumbant.

Can. 2

Institutum religiosum in provincias dividere, novas erigere, iam erectas coniungere vel aliter circumscribere ad Capitulum generale instituti spectat.

Can. 3

§ 1. Domus religiosa, sive formata sive non formata, erigenda aut constituenta est ab auctoritate competenti iuxta normas in Constitutionibus statutas; dummodo re adhuc integra consensus Ordinarii loci in scriptis datus iam obtentus fuerit.

§ 2. Quaevis religiosa domus erigatur aut constituatur prae oculis habita eiusdem utilitate in Ecclesia et semper in tuto ponantur quae ad vitam religiosam rite agendam iuxta proprios instituti fines et spiritum requiruntur.

Can. 4

§ 1. Consensus Ordinarii loci ad erigendam domum religiosam secumfert facultatem:

1) vitam religiosam ducendi secundum propriam indolem, fines specificos et media peculiaria instituti;

2) item opera instituto propria exercendi ad normam iuris, salvis conditionibus in consensu praestito appositis et acceptatis.

§ 2. Praeterea, pro institutis clericalibus facultatem habendi ecclesiam vel oratorium publicum domui adnexum, salvo praescripto can. 1162 § 4, et sacra ministeria peragendi, servatis de iure servandis.

Can. 5

§ 1. Immutationes in institutis religiosis ea affientes quae Sedi Apostolicae subiecta fuerunt fieri nequeunt sine eiusdem beneplacito.

§ 2. Ut domus religiosa ad opera apostolica diversa ab illis pro quibus constituta est destinetur, requiritur consensus Ordinarii loci, nisi agatur de conversione quae, salvis fundationis legibus, ad internum regimen et disciplinam dumtaxat referatur.

Can. 6

Fusiones (uniones extinctivae) institutorum religiosorum, sive cum ex pluribus novum oritur sive cum unum ad aliud accedit Sedi Apostolicae reservantur.

Can. 7

§ 1. Suppressio cuiuslibet instituti religiosi legitime erecti ad unam Sedem Apostolicam spectat, cui etiam reservatur de bonis statuere.

§ 2. Provincias supprimere ad Capitulum generale instituti religiosi pertinet secundum praescripta in constitutionibus statuta. Ei quoque reservatur de bonis provinciae suppressae statuere.

§ 3. Domus religiosa supprimi potest a Supremo Moderatore instituti ad normam Constitutionum, re attente considerata cum Ordinario loci et ipso consentiente salvoque iure recursus ad Sedem Apostolicam. De bonis domus suppressae provideant Constitutiones.

§ 4. In disponendo de bonis ex qualibet suppressione obvenientibus serventur iustitiae leges et fundatorum vel offerentium voluntates.

CANONES APPROBATI IN IV^a SESSIONE

Can. 1

§ 1. Instituta religiosa,

— utpote constituta in Ecclesia ad aedificationem et incrementum pressius suo modo fovendo totius mystici Corporis Christi,

vel

— utpote ad Dei Ecclesiaeque servitium speciali titulo dicata,
Supremae Auctoritati (Ecclesiae) peculiari ratione subduntur;

§ 2. Singuli autem religiosi eidem Auctoritati etiam vi voti oboedientiae parere tenentur.

Can. 2

Religiosi auctoritati etiam Episcoporum eorumque Conciliorum atque Conferentiarum ad norman iuris subduntur.

Can. 3

In regendis institutis iuris dioecesani, utpote sua peculiari curae et vigilantiae concreditis, Ordinario loci, praeter ea quae in aliis canonibus statuuntur, competit:

1° Constitutiones Instituti approbare;

2° Immutationes in constitutionibus eiusdem Instituti a Capitulo generali propositas approbare, salvis iis in quibus Apostolica Sedes manus iam apposuerit;

3° Dispensationes a constitutionibus singulis in casibus et per modum actus dare.

4° Visitationem canonicam instituere in domibus quae in suo territorio sitae sunt, quod attinet ad observantiam Constitutionum atque ad apostolicam sodalium actuositatem.

5° Servata religiosa disciplina et de consensu competentis superioris religiosi, sodales domorum proprii territorii in externa apostolatus opera immittere, quae cum indole propria et fine specifico Instituti congruant.

Can. 4

Cum Institutum religiosum iuris dioecesani ad plures dioeceses propagatum fuerit, uni Ordinario domus principis (generalitiae) competit:

1° approbare immutationes constitutionum, de quibus in canone 3, n. 2, consultis singulis Ordinariis in quorum dioecesibus Institutum aedes habet;

2° Dispensationes concedere de quibus in canone 3, n. 3.

Can. 5

Ad transferendam domum principem Instituti religiosi iuris dioecesani ab una dioecesi ad aliam, Supremus Moderator indiget consensu tam Ordinarii loci, a quo translatio fit, quam illius loci ad quem domus princeps transfertur.

CANONES APPROBATI IN V^a SESSIONE*De visitatione institutorum iuris dioecesani**Can. 3* (cfr. IV Sess.)

Visitare domos instituti in suo territorio sitas quoties visitationem pastoralem ibi peragit, necnon cum rationes vere peculiares suo iudicio id requirant.

*De regimine institutorum iuris pontificii**Can. 1*

§ 1. Instituta religiosa iuris pontificii immediatae et exclusivae potestati Sedis Apostolicae subiiciuntur in regimine interno et religiosa disciplina, salvis tamen contrariis in iure expressis.

§ 2. Subsunt praeterea sodales horum institutorum Ordinarii loci potestati in iis quae ad publicum divini cultus exercitium et externa apostolatus opera spectant, ratione habita indolis uniuscuiusque instituti propriae et servata religiosa disciplina.

Can. 2

Ordinarii loci ius et officium est domos institutorum religiosorum iuris pontificii in suo territorio sitas visitare quod attinet ad publicum exercitium divini cultus et ad opera externa apostolatus, tempore visitationis pastoralis et quoties graves causae id suadeant.

Can. 3

Ordinarii locorum conventus promoveant cum Superioribus religiosis, praesertim maioribus, statis temporibus et quoties id opportunum videbi-

tur, ut pro operibus apostolatus, quae a religiosis exercentur, consiliis mutuo inter se collatis procedant.

De regimine interno institutorum religiosorum

Can. 1

Capitula et Superiores omnium institutorum religiosorum, ad normam iuris communis et propriarum Constitutionum, potestatem dominativam in subditos obtinent; in institutis autem clericalibus gaudent quoque iurisdictione ecclesiastica tam pro foro interno quam pro foro externo.

